



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Primvm. Ante annos triginta presbyter non ordinetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

DECRETA BONIFACII PAPÆ I.
QUÆ NON HABENTVR IN PRIORIBVS,
NUMERO QVINGVE:

Sunt autem desumpta ex Decretis Gratiani,
& ex vetustis codicibus aliis.

PRIMUM.

Ante annos triginta presbyter non ordinetur.

Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus. Et ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui consecrandus est, vsque ad hanc legitimam ætatem non consecrari.

Dist. 78.
Si quis tri-
ginta.

Luce. 3.

SECUNDVM.

*Primate deferuntur negotia quæ metropolitanus
explicare non valet.*

Si inter episcopos eiusdem Concilii dubitatio emerferit de ecclesiastico iure, & de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in Concilio considerans rem, diiudicet. Et si non acquiescat vtraque pars iudicatis, tunc primas illius regionis inter ipsos audiat: & quod Canonibus & legibus consentaneum sit, hoc diffiniat. Et nulla pars valeat calculo eius contradicere.

6. quæst. 4.
Si inter epi-
scopos e-
iusdem.

TERTIVM.

Quidquid Domino consecratur, ad ius pertinet sacerdotis.

Nulli liceat ignorare, quod omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui quæ a Domino & ecclesia, cui competunt, aufert, vastat & inuadit, vel eripit: & vsque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus iudicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.

22. quæst. 1.
Nulli liceat
ignorare.
Lenit. 27.